

LIBER II.

QUESTIONES IN EXODUM, ET IN FINE DESCRIPTIO TABERNACULI.

QUÆSTIO I.

DE obstetricum mendacio, quo fefellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israëlitas quando nascebantur, dicentes, non ita parere mulieres Hebræas sicut pariebant Ægyptiæ¹, quæri solet, utrum talia mendacia approbata sint auctoritate divina, quandoquidem scriptum est Deum bene fecisse obstetricibus²: sed utrum pro misericordia ignoscebat mendacio; an et ipsum mendacium dignum præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo: nam in illis vivificandis opus misericordiæ fuit; mendacio vero illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Neque hinc auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis de quibus dictum est: « Et non » est inventum in ore eorum mendacium³. » Quorumdam enim vita longe inferior a professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, propectu ipso et indole feruntur, præsertim si beneficia divina nondum norunt expectare coelestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita vivunt, ut eorum conversatio, sicut dicit Apostolus, in cœlis sit⁴, non eos existimo linguæ suæ modum, quantum ad veritatem promendam attinet falsitatemque vitandam,

¹ Exod. 1, 19. — ² Ibid. 20. — ³ Apoc. xiv, 5. — ⁴ Philip. iii, 20.

exemplo illo obstetricum debere formare. Sed diligentius de hac quæstione disserendum est, propter alia exempla quæ in Scripturis reperiuntur.

QUÆSTIO II.

DE facto Moysi, cum occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos¹, satis disputavimus in illo opere, quod de vita Patriarcharum adversus Faustum scripsimus²: utrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admisit, sicut solet uber terræ, etiam ante utilia semina, quadam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justificandum sit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam. Tamen sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos³, quod per eum Deus daret illis salutem: ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc andere potuisse.

QUÆSTIO III.

« CLAMAVIT illum Dominus de rubo⁴. » Dominus in Angelo, an Dominus Angelus ille qui dictus est: « Magni » consilii Angelus⁵, » et intelligitur Christus? Supra enim dixit: « Apparuit illi Angelus Domini in flamma ignis de » rubo. »

QUÆSTIO IV.

» EDUCERE illos de terra illa in terram bonam et mel-
« tam, in terram fluentem lac et mel⁶: » utrum terram
fluentem lac et mel spiritaliter accipere debemus; quia se-

¹ Exod. ii, 12. — ² Lib. xxii, cap. 70 et seq. — ³ Act. vii, 25. — ⁴ Exod. iii, 4. — ⁵ Isaï. ix, 6. — ⁶ Exod. iii, 8.